

Zeitschrift:	Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber:	Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band:	- (1746)
Heft:	1
Artikel:	Fasciculus epistolarum [...] Gisberti Cuperi, ad [...] Marquardum Wildium, [...] : quibus variis antiquis marmoribus in Helvetia erutis, lux assunditur
Autor:	Cupert, Gisbert / Wild, Marquard
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-394571

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 18.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

FASCICULUS
EPISTOLARUM
Viri Celeberrimi et Amplissimi
GISBERTI CUPERI,

A D

Virum Spectatissimum & Clarissimum
MARQUARDUM WILDIUM,

Reipublicæ Bernensis Ducentum Virum:

Quibus variis antiquis Marmoribus in Helvetia
erutis, lux affunditur.

Nunc primum ex Mscro. eduntur.

D

EPISTOLARUM ARGUMENTA.

Argumentum Epistolæ I.

Inscriptio Aventicensis explicatur, quæ agit de Julia Alpina, quam Cuperus esse putat filiam Julii Alpini, quem sustulit Cæcina. Quid milites Niliaci. Alia Inscriptio Aventicensis explicatur, in qua Aventicum Helvetiorum fœderata vocatur Romanis. Communis sepius est nomen proprium, quod exemplis probatur.

Argum. Epist. II.

De arte Prosaria veterum prolixius disputatur. Mercator prosarius idem, qui togas plexas nulla futura constantes vendebat. De Utriclariis differitur. Qui apud Romanos honorati fuerint vocati, exponitur. Quid sibi voluerit, formula Ominis causa, docetur.

Argum. Epist. III.

De Avanticis, Galliæ Narbonensis incolis differitur atque probatur, eos non confundendos esse cum Helvetiis Aventicensibus.

Argum. Epist. IV.

Argumenta pro afferenda antiquitate & genuinitate Aventici Helvet. adducuntur, & argumenta contraria diluuntur.

Argum. Epist. V.

De Metello Macedonico differitur. Amplius de militibus Niliacis agitur; antiquus lapis de Numinib. Aug. agens illustratur. Quæ hæc Numina fuerint declaratur. Conjectura de Tomona affertur. Quid sit Clausura ferrei Ostii, docetur. De Colonia Pia Flavia brevibus agitur.

* EPISTOLA I.

Doctissimo Clarissimoque Viro

MARQUARDO WILDIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

JO. JACOBUS SCHEUCHZERUS, Vir Celeberrimus, & Musarum castus doctusque Sacerdos, ad me misit donum tuum vir eximie vel Apologiam, quā Aventicum vindicas Helvetiis tuis, singularem cepi ex illius lectione fructum et voluptatem, et si quid in me judicii est, affirmare

* Quod de Philosophis quondam Cicero dixit: Nullam tam ineptam esse sententiam, quæ non aliquem defensorem invenerit; illud etiam sèpissime de Historicis affirmari posse, nemo dubitat, qui vel parum attendit, gesta veterum talia in dubium vocari, quæ certissimis monumentis centies fuere comprobata: Atque hunc in censum vocandus est Monachus quidam, nomine DONOD, quem alii DUNOD vocare maluerunt. Hic vir inepta nova producendi libidine ductus libro satis prolixo & docto probare annis fuit Aventicum urbem, Helvetiorum quondam caput, ut testis est Tacitus, non in Helvetia esse sitam, licet Scriptores veteres & recentiores omnes, Inscriptiones bene multæ, urbs hujus nominis ad fines Iacuæ Moratensis sita, &c. tam manifeste novum errorem hujus monachi confellerent, ut sapiens nemo dubitare potuerit, priscorum Aventicum in eo loco fuisse sitam, in quo hodienum Urbs hujus nominis extat. Ut autem

mare non dubito , te diluisse et confutasse pul.
chre omnia argumenta , quibus Vir eruditus cona-
tus fuit , urbem tam celebrem Burgundis suis
vindicare , et certe ego non video quid opponi
possit uni huic argumento , Inscriptiones plures
reperi in agro vicino , et earum varias *Aventici*
vel *Deæ Aventiæ* conservare memoriam , uti quo-
ad Deam patet ex illis , quas in Apologia tua p.
226. et 233. nobis exhibes , nam nescio quid
subdoli mihi oriatur de alia , quæ legitur p. 222.
quæ hæc est ,

JULIA ALPINULA HIC JACEO
INFELICIS PATRIS INFELIX PROLES
DEÆ AVENT. SACERD.
EXORARE PATRIS NECEM NON POTUI
MALE MORI IPSI IN FATIS ERAT.

Quæ

Inconditum hoc paradoxum probaret , scripsit libellum cui
nomen præposuit : la Découverte de la Ville d'Antre en
Franche-Comté , Anno 1709. Licet vero assertum Viri
docti , quo Helvetiis gloriam prisca Aventici eripere stu-
debat , tale fuerit ut doctis risum ubique moverit , noluit
tamen Vir Spectatiss. MARQUARDUS WILDIUS , Bi-
bliothecæ Bernensis tunc temporis Præfectorus , errorem in
vulgus nomine contradicente sparsum latius serpere , hinc-
que novum inventum erudito libro confutavit , cui no-
men dedit : Apologie pour la Ville d'Avenche &c. qui
prodiit Bernæ 1710. atque hac occasione conscriptæ fue-
re epistolæ Viri in orbe literato Celeberrimi GISBERTI
CUPERI , quas Vir Amplissimus benigne nobiscum com-
municavit , & quæ egregiam lucem plurimis antiquis la-
pidibus afferunt , quasque ideo publici juris in hac colle-
ctione faciendas esse existimavimus , cum ubique constet ,
quantum fuerit apud literatos Cuperi nominis pondus et
existimatio. J. G. A.

Quæ si genuina ἀναμφιλόγως foret, certe illud foret documentum, nec improbabile JULIAM ALPINULAM esse filiam Julii Alpini, quem sustulit Cæcina. Quin et illud recte observas, nullas vel paucissimas Inscriptiones reperiri, in loco, ubi adversarius tuus contendit Aventicum positam fuisse, id quod certe abit plane a Romanorum moribus, qui in erigendis et consecrandis ejusce-modi monumentis erant prodigi, conabanturque ita memoriam rerum gestarum & mortuorum conservare, atque æternitati vindicare. Tibi quapropter, Vir Celeberrime, de erudito munere non modo gratias ago, verum etiam, quod mei tam honorificam visum tibi fuerit facere mentionem, p. 242. atque utroque nomine me plurimum tibi debere fateor. Socrates cum carperetur, quod angustam sibi domum poneret, respondet apud diserti oris Phædrum, utinam veris hanc amicis impleam. Atque ita et ego dico, utinam laudes illas vere implere possem! neque in me agnosco tam singularem, & tam profundam antiquitatis cognitionem, licet illi illustrandæ vacuas horas meas, quæ non multæ sunt, impendam.

Patere autem ut breviter agam de locis non-nullis, quæ me morantur, eruditæ & dedolatæ lucubrationis tuæ: Pag. 22. in qua lapidem exhibes *Militum Niliacorum* mentionem facientem, & quam recte explicas; sed *milites Niliaci* mihi alibi lecti non sunt, & nescio an Scriptura recte se se habeat, neque memini me legisse milites à flaviis nomen accepisse: quam in rem, si id fieri potest, te inquirere velle apud eum, qui marmor hoc possidet, etiam atque etiam rogo: nescio tamen

si vera Scriptura, an Miles Niliacus non explicari possit et debeat de Classiariis, qui in Nilo ante excubias egerant, & inde etiam erant arcessiti. Pag. 42. Apologiae tuæ citas antiquam Inscriptiōnem Lugdunensem, quæ hæc est.

JOVI O. M.

ADGINNIUS MARTIUS SEQ. SACERDOS
ET AUG.

AD ARAM. AD CONFLUENTES ARARIS
ET RHODANI

II VIR IN CIVITATE SEQUANORUM.

Hæc vero Inscriptio correctior legitur apud Gruter. XIII. 15. & apud Menetrierum p. 74. Historiæ Consularis Lugdunensis, qui per Civitatem Sequanorum intelligit eam, quæ nunc vocatur Besançon, quomodo etiam Dio Cassius Lib. 38. Οὐεσοντίωνα scribit esse τῶν Σηκουανῶν πόλιν, & vix dubito, quin de eadem interpretari debeat Civitas Sequanorum, quia nusquam Lugdunum ita appellatur, & quia Duumvir Vesunctionis potuit votum facere Lugduni, maxime cum esset Sacerdos Romæ & Augusti. Pag. 73. citas Inscriptionem celebrem, cuius ultima verba hæc sunt. COLONIA,
PIA, FLAVIA, CONSTANS, EMERITA, AVEN-
TICUM HELVETIORUM FOEDERATA PA-
TRONO. Hæc certe Inscriptio sola conficit Adver-
sarium tuum, isque male sibi singit Aventicum foedera-
tam Helvetiorum, cum nihil aliud significetur, quam
Aventicum Helvetiorum urbem esse et foederatam Ro-
manorum, & omnia quæ disputantur in contrarium
frivola sunt. Neque tamen in ea invenio une Ambassa-
de, mais un Officier, un Magistrat, qui gouvernoit premiere-
ment la Gaule Lioneise, & qui apres étoit commis & en-
voyé

voyé par Trajan ad census accipiendos , à lever le tribut sur les Suisses , qui avoit été à Rome Préteur , & après Consul , mais non pas Consul de la Province Lionnoise , lequel titre étoit entierement inconnu aux sens de Trajan .

In illa Inscriptione , quam aduers p. 229. & quæ hæc est :

DONATO CÆS. AU
SALVIANO EXACTOR
TRIBUTORUM IN HEL.
COMUNIS VICARIUS.

Vide an non *Communis* sit nomen proprium , et an non is hoc monumentum posuerit Donato , exactori tributorum , cuius erat vicarius . Certe Inscript. 10. p. XII. apud Gruterum occurrit *Communis Gianni filius* , nec quidquam obstat debet simplex M. nam ita scribebant *Cominius* & *Communius* , *Comodus* & *Commodus* , atque apud eundem Gruterum nomen idem proprium *Communis* occurrit DXCVII. 8. nec non in alia secundum indicem , quam tamen invenire non potui . Hæc sunt , Vir doctissime , de quibus animum induxi tecum agere , & spero te esse accepturum in bonam partem meam hanc libertatem , quam profecto non summissem , nisi persuasus essem , illam tibi non plane ingratam fore , quia aliqua ansa tibi præbetur penitus inquirendi in sensum Inscriptio- num de quibus ago . Vale quapropter plurimum . Daventr. XII. Julii 1710.

EPISTOLA II.

Celeberrimo, Doctissimoque Viro

MARQUARDO WILDIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

Literæ, quas ad me dedisti secunda Augusti proximi die, perfuderunt singulari animum meum voluptate, & lætatus fui summopere, te probare conjecturas meas, & quæ ad illustrandas veteris ævi reliquias nonnullas tecum communicavi.

Misi ad JOANNEM CLERICUM amicum meum, cuius *Bibliotheca Gallica selecta* eruditis valde placet, alterum Apologiæ tuæ exemplar, nec dubito quin nobiscum facturus, et attributurus sit Aventicum Helvetiis tuis, quibus eam urbem vindicant etiam binæ Inscriptiones in eo loco vel vicinia inventæ, quas ad me misit SCHEUCHZERUS, vir juvandis studiis natus, et ipse eruditus, imo Philosophus & Physicus insignis. Visum autem tibi fuit inquirere apud me in *artem proffariam*, quamquam eam nequaquam ignores, et ego te etiam atque etiam propterea rogo, ut errantem corrigere velis. Ejus igitur mentio occurrit in *Inscript.* 7. p. DCXCIX. apud Gruter. & apud Sponium p. 102. in libro quem inscripsit, *Recherches des antiquités & curiosités de la Ville de Lyon*, & apud Claud. Francif. Menetrierum p. 34. de *l'histoire civile & consulaire de Lyon*, aliosque, qui ante eos de eadem urbe com-

commentati sunt. Sed apud hunc legitur, NEGOTIATORI ARTIS PROSSARIAE ADPERTINENS HONORATO COKPOR. . UTRICLARIOR. . . Apud illum vero ADPERTINTIS ET HONOR. . . & apud *Paradinum* ADPERTINENTIS ET HONORATO. . . Si *Gruterum* sequimur dices *jungi τὸ ADPERTINENTIS debere cum arte Prossaria.* Si Menetrierium & Spoumum ex ADPERTINENS faciendum esse nomen proprium, id quod tamen vix admitti posse videatur, quia sequitur HONORATO, qui titulus omnino pertinet ad Popilium, nam cœteroquin legeretur HONORATUS si ADPERTINENS esset nomen proprium. Omissa igitur hac difficultate veniendum est ad Negotiatorem artis Prossariae. Doctissimus Menetrierus intelligit un *Marchand d'etoffes*, parceque, comme nous donnons le nom de prosé aux Discours etendus & longs, on donnoit le même nom aux etoffes: & per *Utriclarios*, le corps de ceux, qui trafiquoient des liqueurs, qui se portoient dans des autres, id quod postea examinabo.

Nec certe abis ab illa Jesuitæ eruditæ expositione, cum statuis artem prossariam eandem esse cum *lintearia*, hominem hunc suisse negotiatorem industriorum, vel stolarum; nam *tunica prosa*, vel *prorsa* veteribus erat eadem quæ *recta*, & de hac *Claud. Salmasius* ita loquitur Exercitat. Plin. p. 391. & veteres *Glossæ*, *prosa pexa tunica*, πέξων ιματιον *prosa id est recta*, ut *prosa oratio*, ή εὐθεῖα, opponitur *versæ* vel *versificatæ*; sic *prosa tunica inversæ*, et hodie quoque in pannis dicitur *recta* & *versa*, veteres *prorsum* dicebant pro *recto*, ut *prorsi limites & prorsum ire*: & mox, qua parte *prosa tunica* est, eadem et *pexa*, politis nempe floccis. Non so-

lum pectuntur hodie panni, sed etiam tondentur, quod an etiam apud veteres factum sit, nescio.

Ex hac illustris Salmasii nota sequitur eum existimasse, tunicam dici *prorsam*, cuius latus exterius politum et concinnatum est, et fullonis arte pexum, ita ut flocci sint uniti & descendant omnes. *Reinesius* grande illud Germaniae decus in Epist. L. ad Rupertum explicat *negotiationem profarum*, tunicarum pexarum novarum & candidatarum, & *Proſarium* comparat cum mercatore sagario, linteario & sericario. Sed notandum imprimis Salmasium *profam tunicam rectam* appellari annotare, id quod et tradunt in Lexicis suis Martinus et Vossius, qui ultimus observat, etiam *profæ tunicæ* opponi *inversam*, adeo ut putem eum cum Salmasio existimare, si modo bene eorum mentem capio, tunicam *rectam* vel *prorsam* dici, quia villi vel flocci recte descendebant, ope pexitatis, qua exterior illarum area ut sic loquar erat unita et polita, non autem respectu interioris in qua flocci relinquebantur, & propterea recta & unita non erat, quomodo et hodie lanarum illa pars horridior est, nec ullo modo pectine laevigata. Necessarium omnino est, antequam pergami agere paucis de *tunicis rectis*. Græcis ὁρθοσάδιος χιτων explicatur ὡν ζερρύμενος, tunica non cincta, teste *Polluce*, qualem Neroni Citharoedo tribuit Dio Cassius Lib. 63. qualique profecto Nero induitur in nummis ab eruditis antiquariis vulgatis, adeo ut nonnulli non satis diligentest videantur suisse in exscribendis nummis, in quibus ille Imperator tunicam cinctus est, nisi illud perpetuum non fuerit, et nisi quis velit, quia Apulejus Citharoedo tribuit *Græcanicum cingulum*, rem

rem aliter subinde se habuisse, sed tamen mihi major est Dionis auctoritas, nec non nummorum qui recte picti sunt. Hic igitur nobis describitur *recta tunica*, ita dicta, quia tota descendebat, nec cingulo impediebatur circa medium corpus, vel quia non habebat locum præcincturæ, id est arctior et intercisa, uti ad Pollucem notant eruditæ, erat; Aliam *rectæ tunicæ* rationem reddit Festus, nimirum eam à stantibus & in altitudinem textam fuisse: de hoc texendi modo loquitur etiam idem in verbo *Regillis tunicis*, quas scribit *rectas textas sursum versum fuisse a stantibus, idque Ominis causa, ut etiam in togis verilibus dandis observari solet*, & quam artem Romæ invenisse Cajam Cæciliam vel Tanaguillam testatur *Plinius Lib. VIII. 48.* ubi ita loquitur. Ea prima texuit REC-TAM TUNICAM, quales cum toga pura tyroni induuntur, novæque nuptæ. Plura de his etiam habent Scaliger in notis ad Festum; Salmasius ad Histor. Aug. p. 401. &c. et Ferrarius aliique notant, *rectam tunicam esse ὁρθοσάδιον*, & textam esse à stantibus, sursum versum, vel in altitudinem, de quo more multis agit Salmasius. Sed omnium clarissime Job. Braunius S. Theologiæ dum vive-ret apud Groningenses Professor, in erudito ope-re de *Vestitu Sacerdotum*. †

Hæc

† Licet non admodum frequens mentio fiat Artis PRO-SARIAE apud priscos auctores, ejus tamen frequentiorem faciunt allegationem antiqui Lepides, ex quibus Illustris Cuperus quosdam citavit et illustravit in hac Epistola. Nostrum jam non est, post tanti Viri de hac re messem plura addere, vel nova suppeditare. Veniam autem dabit æquus lector, si data hac occasione dicemus, explican-

Hæc mihi omnia exponenti, anceps cura
nata est, quomodo *ars prossaria* explicari debeat,
quia *prosa*, vel *prorsa* exponitur *recta*, & primo
quidem mihi mirum videbatur aliquem dici nego-
tia-

dum esse ex Arte prosaria locum Evangelistæ Johannis Cap. XIX. 23. De tunica Christi insutili, quæ tota contexta sive potius plexa erat à summitate deorsum, quæ loquendi ratio plurimis interpretibus crucem figere visa fuit, quam autem tollere allaboravit JOH. BRAUNIUS in erudito opere de Vestitu Sacerdotum Lib. I. §. 239. p. m. 267. Quid autem sit prosa tunica facile videmus, tum ex testimoniiis quibusdam auctorum, tum etiam ex vocis PROSUS significatione. PRORSUM priscis idem est plane quod rectum, hinc prota Oratio versibus opponitur, quia in prosa sive soluta oratione omnia recto & naturali ordine fluunt, Versus vero dicuntur, quia voces continent conversas et transpositas, hinc nota Romanis Dea Prosa, sive Prorsa, quæ existimabatur illis esse propitia mulieribus, quæ rectum & legitimum partum ederent, ut Postverta illis adjungebatur, quæ præpostere partum edebant, ut hæc prolixius exponit Gellius Lib. 16:16. Per profariam vestem ideo tales intelligimus vestem, quæ non ex panno, in certas partes dissesto erat consarcinata, sed quæ ab artifice Prosario talis, qualis gestari statim potuit, plexa erat: Aliter enim textores pannos contexere solent, qui transmisso per telam filo pannum parant, & longo pectine condensant; aliter artis Prosariæ magistri, qui sola manu togas plectere solebant et Spatha condensabant. Prorsa ideo dicitur sive recta, quia omnia filamenta deorsum tendebant, cum e contra textores ordinarii transmisso per telam filo pannum ficerent. Ex his jam quilibet facile concipiet, quid sit Prosa tunica, talis scil. in quo fila ita inter se erant contexta, ut omnia aut sursum aut deorsum abirent, in hac vero re, licet ars esset eadem, mos tamen diversus erat, apud quasdam gentes sursum plectebant, quod

ciatorem *Artis prossariæ*, cum ars illa exerceri potuerit absque negotiatione, cum nempe pro aliis texerent, ut hodie fieri amat. Sed cum similiter occurrant negotiatores artis retiariæ, macellariæ, purpurariæ, illique procul dubio res illas parabant, vel emebant et vendebant, facile admitto Popilium vendidisse res, quæ comprehendebantur arte prossaria, quam ut hoc addam, credo poni pro prorsaria, ob Euphoniam: cum autem videatur, designari ars singularis, & si hic homo vendidit vestes, potuisset appellari a genere vestimentorum, quæ ventum exponebat, *Sagarius*,

vel

vocabant ἀνω ὑφαίνειν, sursum plectere: apud Ægyptios consuetudo diversa, quia deorsum plectebant, teste Herodoto Lib. II. qui hanc artis prosariæ Ægyptiorum modum describens dicit, quod soleant πάτω την ροκην ὥδειν, telam pedes versus plectere. Nemo jam erit, quantum quidem confido, qui non ex his concipere possit, qua in re artis prosariæ magistri a textoribus differant; Facile etiam ex his notionem Mercatoris Prosarii elicimus, Negotiator ergo Prosarius erat, qui tunicas prosas vendebat, hinc recte illi, qui mercatores sagarios et prosarios eosdem faciunt. Tunicam prosam vel rectam, arte prosaria factam gestasse Servatorem nostrum, mihi dubium nullum, erat enim teste Johanne χιτών ἄγγελος, hoc est plexa, non ex panno facta, sed filis ita inter se plexis contexta, ut nulla sartoris manus accesserit: impossibile autem foret togam ex panno parare, nisi plurimæ partes disiectæ ad unum vestimentum coadunandum conjungentur. Addit etiam Evangelista, quod fuerit εκ των ἀρωτευ ὑφαίνοσ δι δλε, h. e. deorsum contexta, qui mos Magistris artis prosariæ familiarior magis erat, quam sursum plectere, ut modo diximus. Τραγυτοσ δι δλε, ergo indicat, quod integra hoc modo fuerit parata, nulla in tota toga sutura apparente. J. C. A.

vel in genere *Vestiarus*, audeo tibi dare ad considerandum, an non Popilius noster potuerit texere rectas tunicas, easque vendere, neque enim modus ille texendi ad togas extendi potest, ut facit *Aldus Manutius* in Lib. de quæsitis per Epistolam p. 277. Tom. IV. *Lampadis Gruteri*, nec certe Plinius, quo se tuetur, illius facit ullam mentionem, uti vel patet ex ejus verbis paulo ante à me in medium productis.

Nunc *Utriclarii* restant. Videmus Jesuitam eruditum credere, eos esse, qui conditos liquores, quia illi utribus indebantur, vendebant. Sed profecto hoc mihi longe nimis petitum esse videtur. *Utriclarium* is dicebatur, qui inflat fistulam utri insitam, ἀσταυλης, Germanis dicitur *Sackpfeiffer*, tales apud Romanos fuisse patet ex Sueton. Nerone cap. 54. de qua arte & ejus artificibus videri potest Scaliger ad *Etnam* & *Copam*. Sed nec hos admittendos puto, licet Tibicines Romæ habuerint Collegium. Sed non dubito, quin intelligendi sint Nautæ, cum doctissimo Reinesio ad Inscript. 36. Classis XI. In qua quidam C. Victorinus dicitur *incorporatus esse inter Utriclarios Lugduni consistentes*. Sunt enim, ait, *Utriclarii*, qui rem utriclariam exercent, & plerumque nautis juncti leguntur, & ita profecto legitur apud Gabr. Simeonem in Epitaph. illustratis p. 5. DECI-MAM. . . NAUT. ARARICO. HONORATO. UTRICLARIO. LUGDUNI CONSISTENTI. Unde autem hoc nomen datum sit hisce nautis, non constat satis. Jacobus Sponius p. 100. Antiquit. Lugdun. putat, qu'uter & utriculus, ont été une sorte des petits bateaux à ventre large, qui pouvoit ressembler à une Cornemuse, in qua qui sedebat,

utri-

utriclarius vocabatur. Sed an non commodius statui posset, Utriclariorū nautas usos esse ratibus factis ex utribus, quales in usu olim fuisse docet Schefferus de re nautica p. 317.

Restant jam examinandi *Honoratus Utriculariorum & Consul Lugdunensis*. De Honoratis multa annotarunt Viri docti, ut nosti, et inter eos *Jac. Gothofredus* ad Cod. Theodos. *Salmasj.* ad *Lamprid.* breviter etiam de iis loquitur. HONORATI autem vocabantur proprie, qui dignitatibus erant praediti, & qua militaribus, qua etiam civilibus functi, hi distinguebantur a plebe, hinc in Notis *Val. Probi* habemus PLEBS URB. ET HON. U. id est *plebs urbana, & honoribus usi*, sunt honorati. Et credo Virum illustris & admirandæ doctrinæ nobis tradere Honoratos appellari tum eos, qui dignitates gerunt, quam qui iis jam functi sunt. In Inscript. 2. pag. CCCXXX. L. Acilius Cuticla dicitur *Honoratus Decurialis*, quia videtur titulum tantum Decurionis apud Bovillas habuisse. Sed te diu nimis detinerem, si materiam hanc totam exponere aggrederer. Honorati Corporum, quantum video illi sunt, qui honoris causa in hoc vel illud, licet artem non didicissent, nec negotia illa exercebant, erant recepti, vel qui illi erant praepositi, valebantque aliqua auctoritate, ita certe suadere videtur quo ad ultimam explicacionem Inscript. 3. p. CCCCXL. MAG. QUINQ. COLL. FABRUM TIGNARIORUM LUSTRO XVII. HONORATI ET LUSTRO XIX. ET XX. Neque aliter nos docet Inscript. 13. Clasis X. apud *Reinesium*. EPAGATHO TYRANO HONORATO COLLEGII FABRUM TIGNARIORUM. Et varia Honoratorum nomina Col.

Collegii Romæ Fabrum Tignariorum conspicienda sunt in Inscriptione mutila I. p. CCLXVIII. apud Gruter. Nulla mihi prioris explicationis meæ occurrunt exempla, et uti eam non præfrate defendo, ita puto tamen eandem accuratius exponendam esse, id quod forte alio faciam tempore.

Non credo erratum esse in Inscriptione, quam exhibes pag. 73. politæ tuæ lucubrationis, sculptoremque *Consuli pro Prætori*, neque verisimile in monumento publice à Colonia posito tam insigne mendum admissum fuisse; & τὸ Consuli reliquis dignitatibus immiscetur, ut indicaretur eum fuisse Consulem Romæ, postquam Legatus fuisse Trajani Provinciæ Lugdunensis, & postea fuisse missum ab eodem Imperatore AD CENSUS ACCIPIENDOS. De qua re etiam disputari possit, sed nimis diu te detineo. Vale etiam atque etiam. Dabam Daventriæ IV. Octobr. 1710.

P. S. Oblitus fui verbulo monere, quid sibi velit phrasis, *Ominis causa* apud Plin. Ego hoc credo designare vigilantiam & alacritatem, uti filiæ erant, quando texebant tunicas pectas: cum non modo stare, sed etiam circumire machinam textoriam deberent. Ita vulgus nostrum omen Ciconiæ volantis & sedentis ad augurium trahit, illamque vigilantiæ, hanç desidiæ omen esse sibi fere persuadet.

EPISTOLA III.

Præstantissima Viro

MARQUARDO WILDIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

CUrata ad me recte est Epistola , quam ad me
Die XII Octobr. anni elapsi scripsisti , tibi
que multum me debere fateor , quod tam
prolixè signifies , tibi ea probari maximam par-
tem , quæ eadem fui complexus . Tarde fateor
et negligenter respondeo , sed cave credas illam
procrastinationem adscribendam esse tui oblivio-
ni : occupationes meæ , eximie Wildi , accusandæ
sunt , quæ cottidie majores fiunt , quibusque
detineor , quamquam nunquam intermittam stu-
dia doctrinæ .

Placuit mihi valde Aventicum tuum . Vidi
postea Anonymum edidisse *la Decouverte entiere de*
la Ville d'Antre en Franche - Comté anno 1709 , quam
puto te nondum vidisse , cum lucubrationem tuam
luce donares : quin et ipsius illius auctoris non
videntur tua ista venisse in manus , cum refellat
tantum Lotharingum quendam , cuius liber de-
scriptus est typis Divionensibus , et Helvetium ,
quem vocat Danjelem Aubertum cuius non vedit
nisi manu exaratum mense octobri anni 1700 .
Non dubito tamen , quin examinaturus sis viri

E eru-

erudit rationes, quia tua et Helvetiorum caussa agitur, qui ægre ferrent procul dubio sibi eripi Aventicum, et urbem celeberrimæ famæ transportari in Burgundiam: neque dubito etiam, quin urbs magna fuerit eo loco ubi hodie est la Ville d'Antre, loquuntur illam cadaver et tam splendida rudera, quin et veteris ævi reliquiæ, quas ibi reperiri magno numero fidem facit auctor ille eruditus, qui si est Jesuita *Dunaud* antagonista tuus, fateri debeo, eum cum Musis rationem non admodum infeliciter deduxisse. Neque tamen omnia, quæ ab eo profecta sunt, probo, multo minus Aventicum illius amplector, quamquam pugnet telis haud mediocribus, imo pilis ad instar Triarii, si omnia ita se habent loca, quæ nobis annumerat auctorum tam veterum quam mediæ ævi. Possem, credas velim, examinare varias viri docti explicationes, et inquirere paulo diligentius in verba Taciti, Plinii, aliorumque, non secus ac in quasdam Inscriptiones, atque adeo in primis an non Inalpinæ gentes illæ dicantur solæ, quæ in mediis Alpibus habitabant, vel iis cinctæ et munitæ sunt, an vero quæ ad radices montium illorum sedes suas fixerunt.

Sed hæc omnia tibi relinquo, et religio mihi est in tuam splendidam et fertilem messem falcem meam immittere. Facere tamen non possum, quin moneam, uti examinare velis aliorum eruditorum sententias, qui statuunt Aventicum non esse hodiernum Avanche, nam Valesius ad Amm. Marcellinum XV: II. attribuit Aventicum Sequanis ex notitia provinciarum Galliæ, et non esse

esse in Alpibus Grajis et Penninis contendit, id quod dicere videtur Ammianus, neque tamen id plane verum esse affirmare ausim, quia locus ille mutilus est, et certe Aventicum longe abest ab iis Alpibus, si sequimur tabulas Geographicas: Harduinus autem in notis et emendationibus ad Plinii Lib. III. Num. 31. putat errare valde Hermolaum et Guillimannum, qui putant Avanticos Plinii esse Helvetiae populos, *ceux d'Avenche*, et in notis brevibus Avantiacum pagum, hodie *Avançon* dici inter Vapincum et Ebredunum * et Bodionicos habuisse *Diniam* oppidum non ignobile, hodie *Digne*, quæ fuerunt in Vocontiis, et certe hæc digna sunt quæ examinentur,

E 2 cum

* Longo certe intervallo distant AVANTICI, de quibus Plin. Hist. Lib. III. cap. 4. p. m. 148. & AVENTICENSES, & male faciunt, qui confundunt; Male etiam se haberet lectio Plinii, si agri Aventicensis incolas Avanticos vocasset, quia vetus Inscriptio, quæ hodie adhuc in loco Aventico contermino videtur, & quam describit Cl. WILDIUS Apolog. p. 233; incolas illorum locorum diserte vocat AVENTICENSES. Ex testimonio vero Plinii l. c. videmus, quod Avantici fuerint gentes Galliae Narbonensis, quia Avantici atque Bodiontici conjunguntur, & quorum oppidum fuerit Dinia, quæ urbs pertinebat ad provinciam Alpium maritimorum: haec tenus ergo recte HARDUINUS; sed in eo insigniter fallitur, dum putat, in not. & emend. ad Plin. Lib. III. num. 31. p. m. 184. quod Aventicum fuerit oppidum Avanticorum. Ita vir doctus ex nominum affinitate sibi imponi passus fuit, aliter haud dubie judicasset, si Aventici situm ex Tacito & Anton. Itinerario colligere voluisset, quorum uterque Aventicum Helvetiis tribuit. I. G. A.

cum non sit verisimile Galbam Aventicum Helvetiorum adiecisse Vocontiis, vel Nemausensibus, et recte Avantici illi et Bodiontici appellantur, Inalpini enim populi, de quibus Plinius, ita dicti, quia in Alpibus Cottiis habitabant, quæ explicatio docti Jesuitæ si vera est, certe hic locus Plinii extra litem esse debet, nec quicquam facit ad Aventicum Taciti. Consulendus tibi insuper est *Chorierus Lib. I. Histor. Delphinatus p. 12.* et *Lib. IV. p. 197.* quem in notis suis ad Plinii loc. cit. laudat Harduinus, sed quem non habeo in forulis meæ Bibliothecæ. Atque nunc quidem hoc Catone contentus esto; possem ceteroquin tecum confabulari de variis Græcis Inscriptionibus, quæ ad me missæ sunt ineditæ, de variis libris novissime editis et de curis meis, sed monebo tantum, Cornelium de *Bruyn* celebrem illum peregrinatorem edidisse alterum tomum itinerum suorum, et *Perizonium* nobis dedisse origines Babylonicas et Ægyptiacas, in quibus vetus illud tempus multum illustratur. Vale Vir Clarissime et me ama. Scripsi Daventriæ VII. Iduum Aug. 1711.

EPISTOLA IV.

Amplissimo et Spectatissimo Viro
GISBERTO CUPERO

S. P. D.

MARQUARDUS WILDIUS.

Falleris, omni liberali doctrina politissime Vir,
si putas me nondum vidisse scriptum Ano-
nymi antagonistæ meæ eo tempore, quo in
lucem prodit opusculum meum pro Aventico
Helvetiorum; mentionem etiam feci in præfatio-
ne Apologiæ meæ, ut facile videbis ab initio
præfaminis, declaravi etiam quis sit Adversarius
noster, homo nimirum ordini Jesuitarum adscrip-
tus, nomine *Du Naud*. Prodierat historia illa
Antrica, quam vocat *la Decouverte de la Ville d'An-
tre*, anno 1709: hinc statim anno insequente oppo-
sui his commentis Apologiam meam. Quænam
nunc sit opinio mea de loco *Plinii Lib. III. cap. 4.*
videbis in exercitatione mea pag. 88. et sequen-
tibus, ubi Harduinum et Chorierium amplector,
Guillimanum vero et Tschudium, utrumque Hel-
vetium, rejicio. Stat erga firinus *Plinius*, sed
auctoritate sua non privandus est *Tacitus*, cuius
testimonium est apertum, nam alii fuere *Avantici*,
alii *Aventicenses*, et sufficiet nobis Plinium de illis
in Gallia sitis, Tacitum de Helvetiis scripsisse: Il-
lud hodienum adhuc ex prisco nomine corrupte

vocatur *Avançon*; urbs in Helvetia sita *Avenche* dicitur: Remanent autem in nostro Aventico, non cadavera tantum antiqui splendoris, sed etiam plurimæ insignes Inscriptiones, quæ certam fidem faciunt Aventicum quondam in eo loco sitam fuisse, remanet nomen Aventici inde a tempore Romanorum ad nostram ætatem transmissum, sedes quondam Episcopi Aventicensis, qui autem postea habitationem suam Lausannam transportavit. In illa autem urbe, quam Jesuita Du Naud Aventicum singit, nihil pristini nitoris, monumenta nulla, quæ fidem facere possent Aventicum ibi fuisse sitam, rudera pauca, qualia passim et in Helvetia et alibi inveniuntur, ubi olim modicæ magnitudinis urbs fuerat extructa. Dicendum ergo, quod Plinius de populo, non de urbe loquatur, Tacitus de loco peculiari vel urbe, quæ sine omni controversia est Aventicum nostrum. Inter Ebrouduntios, de quibus Plinius, adhuc hodie eminent civitas *Embrun*, caput provinciæ Delphinatus, et hodie ni fallor sedes Achiepiscopalis, et hæc sunt in Alpibus Cotiis, hinc merito Plinius Bodintios, Vocontios, Ebrouduntios et Avanticos Inalpinos vocat; ast quod nunc Jesuita Du Naud hos posteriores Sequanis annumerat, hoc appello somniare, vel delirare. Plurimum ergo apud me valet tua auctoritas aut docta explicatio, quam mihi de loco Plinii suppeditas, adeoque valde lætor tibi probari hanc meam sententiam, quæ eadem est cum tua. Valde desideravi hactenus Chorierum, sed frustra eum in tabernis librariis requisivi. De Antagonista meo mihi non multa cognita sunt, sed fama fert eum

cum antiquatum esse studiosissimum. Elucet in ejus opere ingenium promptum, versatile, acutum, diligentia et studium, quæ etiam in inimico sunt laudanda, hac autem in re se dignum ordinis sui filium declaravit, dum tanta arte rem falsissimam, nullo testimonio, nulla veritatis specie nixam, tam prolixo argumentorum apparatus ad aliquam saltem verisimilitudinis formam producere potuerit. Novi tamen quod ipse sit convictus, se rem ineptam, falsam et ab omni veritate remotam defendisse, volebat autem tentare, quæ esset sui ingenii vis, aut hominum credulitas, qua se paterentur etiam ad absurdissima deducere, atque ille in libiores haud dubie cæchinos solveretur, si videret tales esse, qui fabulis his novis aurem præbere vellent. Facile simplicibus Jesuitæ in rebus religionem spectantibus aniles fabulas obtrudunt, manes et spectra fingunt pro lubitu, simplicesque terrent et circumducunt, sed seculum nostrum nondum ad eam dementiam et obscuritatem delapsum est, ut cœca fide credere velit integrum Urbem per montes et valles ex Helvetia translatam et in Burgundiæ finibus tuto ex aëre in terram demissam esse, ut ædicula illa Loretana, quam Angeli humeris diu bajulatam tandem in illis oris maritimis deposuerunt. Novi quod Dunaudius ipse Aventicum nostrum visitaverit, hinc certus est se mendacium defendere. Quid nunc facturus sit, ignoro: adversarium, me equidem doctiorem non timeo, quia mihi veritas et luculenta antiquitatis testimonia rem meam certam reddunt, ille autem pro præsidio nihil habet quam chimæras et figmenta

mera; Prolixe iam ante me fortissimis argumentis
 * Cellarius probavit *Geograph. antiq.* Tom. II. Lib. 2.
 cap. 3. p. m. 277. idem illud Aventicum quod
 defendo convenire prisco Aventico, cuius men-
 tionem faciunt prisci Scriptores et præsertim Ta-
 citus. Et ad quid nobis tandem conducent in-
 numera illa monumenta, Inscriptiones, Aventici
 et Deæ Aventiæ mentionem facientes, quæ ma-
 gno numero hodienum adhuc conspiciuntur, ad
 quid Amphitheatrum quod adhuc videtur, Pav-
 menta tessellata plurima, nominis perpetua me-
 moria, si Burgundi Aventicum habuere. Sed
 nolo te diutius morari. Vale Vir Amplissime,
 et vive diu Patriæ et Reipublicæ Literariæ. Da-
 bam Bernæ prid. Kal. Septembr. MDCCXI.

* Idem quoque statuit Clariss. CLUVERIUS in
 German. Antiq. p. 347. & anonymus Aucto*r* in Libello,
 qui inscribitur: *Dissertations historiques sur divers Su-
 jets d'Antiquité, & autres matières, qui la concernent.*
A Paris 1706, in quo frivola Jesuitæ DUNAUD com-
 menta dedita opera confutantur.

EPISTOLA V.

Præstantissimo atque Consultissimo Viro
MARQUARDO WILDIO

S. D.

GISBERTUS CUPERUS.

Agnosco lubens errorem meum, et te etiam refutasse librum, cui est titulus *la Decouverte entiere de la Ville d'Antre en Franche Comté*: nescio qui factum sit, ut non animadverterim, peto quapropter veniam festinationi et inconsiderantiae, quæ inde orta fuit, quod titulus ille indicabat antea eundem virum doctum alium libellum conscripsisse, et hoc refutare binos, de quibus proxima epistola egi Adversarios.

Ea quæ insuper mecum communicas, mihi valde placent, et stant recto tali, lætorque tibi non improbari ea, quæ in medium attuleram ad argumentum illud illustrandum, quod impostorum tibi totum relinquo, ea tamen lege ut mihi permittas dicere sententiam meam de uno aut altero loco et de Inscriptionibus, de quibus egit tuus adversarius.

Ultima regula Inscriptionis quæ legitur p. 32. recte a te exponitur, et quæ Jesuita commentatur flocci plane sunt facienda: sed et iis putat designari nepotem, *le Petit - Fils de Q. Metellus*

Macedonicus, cuius laudes celebrat Vellejus: *vix
ullius gentis, ætatis, ordinis, hominem inveneris, cu-
jus felicitatem fortunæ Metelli compares*, dein putat
eum nepotem cum militibus ex Ægypto venien-
tibus templum Marti, et (ita enim credit in mar-
more scriptum fuisse) Augusto erexisse, et tan-
dem eundem eam rexisse provinciam.

Et primo quidem puto, non satis commo-
de hæc divisa esse tempora, nam Q. Cæcilius
Metellus Macedonicus triumphavit de Macedoni-
bus anno DCVII et C. Julius Cæsar, Octavianus
Augustus appellatus est an. DCCXXVII, nec puto
illo tempore nepotem ullum Metelli in vivis fuisse,
et ante illum annum nemo Deorum Augustus
cognominari potuit, vel, si Mars et Augustus
distinguendi sunt, huic haberi nequit ullus honor
divinus. Quin et non justo tempore Nepotis
Metelli Niliacos milites fuisse cognitos, cum reg-
num illud pareret adhuc regibus, nec in provin-
ciæ formam erat redactum, quod factum, pri-
mum victis M. Antonio et Cleopatra. Neque
etiam, quod palmarium mihi esse videtur, ullum
locum habere potest aliquis ex gente Cæcilia:
Metellus cognomen est, et tam aliis quam Cæciliis
convenit, et hoc loco Petronius quidam illud
gerit, quæ gens celebris etiam valde fuit. Puto
Q. Petronium Metellum, et ejusdem familiæ alium
M. Petronium Magnum cum militibus Niliacis
Martii Augusto statuam dedicasse, et non tam
splendidum templum extruxisse, prout ex rude-
ribus colligere vult Jesuita, nec unum ex iis vi-
ris facerem Rhetorem illius provinciæ, mihi sunt
Tribuni et Præfecti militum Niliacorum, quos non
credo

credo ab ullo alio memorari. Et certe milites, qui in aliis regionibus excubabant, *Exercitus* nomine veniunt, et in nummis nec non in aliis Inscriptiōnibus, Tacito aliisque auctōribus obvii sunt *Exercitus Mæsiacus, Illyricus, Dacicus, Syria-cus, Noricus, Hispanicus*, qui ideo non sunt appellati, ut commentatur alicubi Harduinus, quia ex illis populis constabant, sed quia Romani et Socii illorum in iis regionibus militabant, uti legitur in *Inscript.* 6. p. CCCCLVII. apud *Gruter.* An igitur Niliaci milites erunt, qui in navibus speculatoriis divisi, per Nilum navigabant, et excubias agebant, quales Rheno et Rhodano impositos fuisse constat. Sed et dubito aliquo modo, an hæc *Inscriptio* ita se habeat, cum legatur longe aliter apud *Reinesium Claff.* I. 83. quæ quamvis Jesuita refutet, et malæ notæ putet, ego tamen vehementer desidero eam inspici et legi ab homine fido et antiquitatum perito, quod si id effectum dare posses, plurimum certe tibi deberem. *Templa autem condita adversario tuo* Dunaud mirifice placent, parte 2. p. 8. ex hac *Inscriptione* MERCURIO SACRUM LUCIUS TUTELLUS ET SUI V. L. L. M. id est *vovere* runt libentes, lubentes, merito. Concludit templum Deo illi a Lucio fuisse ædificatum, cum illud SUI satis testetur, hoc nil nisi votum fuisse, et hinc putat pag. 182. Tullium quendam extruxisse itidem Castori templum, quia in saxo scriptum est, CASTORI SACRUM TULLIUS EX VOTO; cum potius et multo verisimilius fuerit statuam, vel aliud aliquod monumentum Castori dedicatum et positum.

Pag. 113. de la Decouverte , alium adhuc video errorem a Dunaudio admissum ; ibi asserit Constantinum esse Anglum vel Brittannum , ex matre Helena : sed hic error vetustus omni caret fundamento , et hoc assertum plane est fictitium , uti multis docui in notis meis ad *Lactantium de mortibus Persecutorum* , perswasusque sum omnino , me materiam illam exhausisse.

Pag. 157. Agitur de veteri Inscriptione , quam etiam adfers in Apologia tua , et quæ hæc est , p. 214.

NUMINIB. AUG.
ET GENIO COL. HEL.
APPOLLINI SACR.
Q. POSTUM HYGINUS
ET POSTUM HERMES LIB.
MEDICIS ET PROFESSORIB.
D. S. D.

Putat vir doctus nobis exhiberi *Numinia Augusti* , quem tu vir eximie credis esse *Vespasianum* ; Putabam aliquando melius fore , si interpretemur *Numinibus Augustis* , uti titulus ille variis Diis adscribitur , *Veneri Aug. Apollini Augusto* ; sed cum in aliis legatur *Numinibus Augustorum* , facile eam interpretationem admitto , sed tamen vix video , heic de dedicatione templi agi , Liberti enim hic memorantur , qui nescio an suffecerint iis sumptibus , quamquam illud *Medicis et Professoribus* me turbet , quorum in commodum Liberti illi vindentur aliquid Diis dedicasse , forte locum , in quo Medici et Professores ejusdem vel etiam alia-
rum

rum scientiarum publice docere possent: Mihi enim videtur loquendi ratio non permittere, ut Rectores Collegii Medicorum et Professores, qui docebant scientias et artes Liberales Aventici, possint dici, hanc Inscriptionem posuisse una cum templo, id quod inde sequitur, vel locum dedicasse Apollini &c.

Pag. 227. Antagonista tuus Ammianum Marcellinum vertit, verba ejus hæc sunt. *Cela revient à Amm. Marcellin, qui dit, qu'Avanticum tout desert qu'il étoit de son tems, étoit encore une des plus belles Villes des Gaules.* Verbis hisce utitur Ammianus: *Alpes Graiae et Penninæ exceptis obscurioribus, habent et Avanticum, desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant, hæc provinciæ urbesque sunt splendidæ Galliarum.* Ubi ego non video eum dicere, suo tempore Avanticum fuisse unam ex maxime pulchris Galliarum urbibus, nam eam facit desertam, eidemque tribuit ædificia semi-ruta, quæ nequaquam conveniunt urbis alicujus pulchritudini. Sed si Avanticum refert inter urbes splendidas, respexit procul dubio veterem illam conditionem et celebritatem, id quod ipse etiam statuis Vir Celeberrime.

Pag. 203. partis secundæ occurrit itidem vetus Inscriptio, in qua Dea Tomona memoratur, quam putat cognominari a loco vel oppido, in quo colebatur *Boruoniensi*: Sed an non potius dicendum foret *Boruonem* esse Deum, et *Tomonam*, forte *Pomonam* Deam, quia mihi videtur titulus a loco sumptus sequi post Deæ nomen proprium debe-

debere, et an non ING. æque posset exponi *In-*
genius ac in Galliis?

Sed profecto diu nimis te detineo, et quamquam de aliis rebus agere tecum possem, malo tamen verbosæ huic epistolæ finem imponere; quam te diutius a gravioribus studiis detinere, hoc unum adhuc addo, quod observo in Scripti adversarii tui Parte II. p. 18. laudari ex vita sancti Oijan, locum quem puto male versum esse; *ob celebritatem, clausuramque ferrei ostii indidit nomen.* Primus ille adversarius Jesuita sibi fingit propugnaculum, et hic istud damnat, judicat tamen, que l'Auteur de cette Vie dit seulement, qu'il avoit une belle enceinte de muraille, qu'on appella pour cela Porte de Fer. Ego e diverso murum non agnosco, sed credo portam, vel januam templi ex ferro factam fuisse, et inde etiam hoc nomen inditum esse. *Clausura ferrei ostii,* est ostium ex ferro, quod idem est ac vos dicitis *Liserne Thüre* / fateor tamen me eo sensu hanc vocem nondum observasse, et *Clausuram* medii ævi auctoribus significare angustos aditus montium, Claustra veteribus dicta, nec non septum in quo animalia custodiuntur &c. uti videre est apud Vossium de vitiis sermonis et Du Cangium.

Hoc adhuc addo, mihi omnia probare a Vespasiano Coloniam Aventicum esse deductam, patet hoc ex pulcherrima Inscriptione, quam habes in Apologia tua pro Aventico pag. 216. extrema ejus verba ita se habent. COLONIA.
PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA.
AVENTICUM HELVETIORUM FOEDERA-
TA.

TA. Non Romanorum, ut recte evincis, sed qui
 sit, ut eadem JULIA appelleatur, in nummo Do-
 mitiani, apud *Hadr. Valesium p. 55. Not. Galliæ.*
COLONIA JULIA AVANTICORUM, at con-
 tra, in alio Vespasiani CIVITAS AVANTICA.
 Cum ego nummos ipsos non viderim, judicare
 etiam non possum de iis, an nempe, ut sic lo-
 quar atri, an albi sint. Adversarius tuus parte II.
 pag. 55. illum Vespasiani defendit, et altero ut
 genuino utitur Valesius, tu quoque hanc diffi-
 cultatem examina et tolle, an Julia, Titi filia,
 Domitianus uxor, hic locum habere possit? An
 forsan alteram Coloniam illuc deduxit Vespasia-
 nus, primam vero Julius vel Augustus. Plura
 jam non addo. Vale etiam atque etiam Vir Clarissi-
 me. Dabam Daventriæ X Kalend. Decembr.
MDCCXI.

